

✝ ✝ NECROLOGIA ✝ ✝


† Ex.e.mus et Rev.mus Edmundus Gleeson, Episcopus Maitlandensis
(1869-1956)

Dominica 4 Martii h.a. Congregatio nostra morte amisit Episcoporum suorum natu maximum, annorum videlicet octoginta septem, virum non aetate solum, sed etiam virtutibus ac meritis vere eminentem.

Hiberniae catholicae familia Gleeson familiae alfonsianae haud unum sodalem dedit. In Catalogo anni 1898, p. 140, Dundalchii decanus Fratrum professorum est Ioannes (Iosephus) Gleeson, natus 14.6.1840 et professus 25.3.1874; erat defuncti Episcopi patruus. Unicus eius frater germanus Thomas, natus a. 1870, iam ante Edmundum Congregationi nomen dedit, vocatus dein Kie-

ranus, et mortuus est a. 1945 Brisbani. Immo et ipse genitor, viduus factus, nostram religiosam vitam amplexus est ut Frater Timotheus. Etiam duae Edmundi sorores statum religiosum elegerunt.

Edmundus in lucem huius mundi editus est d. 13 Ian. 1869 in loco Rathclough prope urbem episcopalem Cashel, Tiperary. Quo tempore eius parentes



postea cum filio Thoma et duabus filiabus in Australiam emigrarunt, Edmundus in Hibernia remansit, ut studia sacerdotio necessaria absolveret, et ordinationem ab Archiepiscopo Cassiliensi Croke in cathedrali Dominae Nostrae in Thurles 18 Iun. 1893 recepit.

Mox suos secutus in longinquam Australiam, ibi dioecesi Maitlandensi incardinatur et vicarius ecclesiae S. Mariae Novicastri (*Newcastle*) nominatur. Post duos annos cum dimidio transfertur, item vicarius, ad pro-cathedralem ecclesiam Maitlandensem, ubi a. 1897 ei labor obtigit praeparandi omnia pro consecratione novi Episcopi Coadiutoris Vincentii Dwyer, primi Episcopi

australiani in ipso hoc continent nati. A. 1899 Edmundus in Maitland instituit talem celebrandi festi S. Patricii rationem, qualis hodieum servatur. Annis 1900-1904 Novicastri laboravit qua administrator.

Hoc ultimo anno incidit in morbum tam gravem, ut ultimis sacramentis muniretur; attamen convaluit, et ad valetudinem firmandam rediit in patriam. Ibi constituit sequi exemplum fratris iunioris et in nostro Instituto se Deo in holocaustum offerre. Die 8 Sept. 1905 in novitiatu Dundalk emisit vota sodalis Redemptoriani, una cum altero sacerdote Bernardo Hackett, qui et ipse postea (1916) ad episcopalem dignitatem electus est in dioecesibus originis Waterford et Lismore, sed iam a. 1932 e vivis sublatus (1).

In Catalogo anni 1908 P. Edmundus Gleeson est ultimus duodecim Patrum communitatis Belfast, et a. 1910 item ultimus quattuordecim Patrum communitatis Limerick. Tunc temporis ibidem moderabatur famosam confraternitatem virorum S. Familiae.

A. 1912 in Australiam revertit, nominatus Visitator seu Superior illius Vice-Provinciae. Hoc in officio magna perfecit. Parvum iuvenatum a Ballarat in novum collegium *Gallong*, N.S.W., transtulit, et certe huius collegii fundator, interim Episcopus et admodum senex factus, valde gavisus est, cum 12 Sept. 1954 ibi novam alam liturgica benedictione ei concessum est (2).

Vice-Provinciae tunc plane deerat proprius studentatus, ita ut recens professi cogerentur longum ac sumptuosum iter in Hiberniam facere ad studia superiora perficienda; itaque P. Gleeson in *Pennant Hills*, haud ita procul a Sydney, vastum fundum acquisivit ibique suos clericos iucunde fecit habitare. Hodie ibi est novitiatus, condito interim in Ballarat novo ac magnifico studentatu (3).

Tandem P. Gleeson in urbe metropolitana *Brisbane* a. 1920 condidit tertiam domum, centrum apostolatus missionalis valde fecundi (4). Insuper ad novas in Australia vocationes lucrandas a. 1922 in Sydney publicavit librum R. P. Roberti Mageean: *The Redemptorists, their Life and Work*.

In nominationibus anni 1924 Patri Gleeson in officio Vice-Provincialis P. Thomas Walsh suffectus est, ipsique datum gubernium domus Pennant Hills. A. 1927 Vice-Provincia erigitur in autonomam Provinciam, P. Wash fit primus eius Superior et P. Gleeson eius Consultor-Admonitor.

Insuper P. Gleeson toto suo tempore australiano praedicavit paeclaro cum fructu multas missiones et exercitia spiritualia, et cum Episcopus Maitlanden-

(1) Cf. *Analecta* 1932, p. 306-309.

(2) *Analecta* 1955, p. 82.

(3) *Analecta* 1934, p. 115 et 140-143.

(4) Cf. de his rebus R. S. SELLECK, *A Bi-Centenary and a Jubilee*, Sydney, 1932, p. 40.

sis Exc.mus Vincentius Dwyer indigeret Coadiutore, 31 Maii 1929 talem recepit in persona P. Edmundi Gleeson, sibi iam diu probe cogniti (5); qui plenum dioecesis regimen 28 Martii 1931 accepit, factus sic quartus Episcopus Maitlandensis. Mansit tamen pristinis confratribus amantissime coniunctus, ut apparuit in iubilaeo P. Gulielmi Bannon 5 Ian. 1937 (6), in eiusdem funere anno insequenti (7) et in inauguratione novi studentatus Ballarat 23 Apr. 1933 (8). Bene igitur accidit quod vitam inter dilectos confratres finivit, in collegio Novocastrensi Mayfield.

Quae Exc.mus Vir viginti quinque vel potius viginti septem annis sui gubernii episcopalnis laudabiliter perfecerit, hic singillatim enumerari nequeunt, ut patet. Nolumus tamen tacere aliquot monumenta eius insignis pietatis eucharisticae. Non modo moderabatur Nationale Foedus Eucharisticum pro sacerdotibus Australiae et Novae Zelandiae, sed etiam quater in anno in eorum commodum publicabat solidum periodicum, *Emmaus* inscriptum. Item publici iuris fecit complures series Horae Sanctae Eucharisticae (9). Maximus vero horum annorum eventus fuit magnificus ille Congressus Eucharisticus et Missionalis pro tota natione a. 1938 in urbe Novocastrensi habitus (10), ad quem digne parandum ipse Pius PP. XI nostrum Confratrem peculiaribus Litteris Apostolicis impulerat (11).

Sicut in S. Alfonso, ita in Episcopo Gleeson insigni pietati eucharisticae intime associata erat pietas mariana vere excellens. Ab eodem Pontifice Pio XI efflagitavit gratiam, ut Beata Virgo Maria de Perpetuo Succursu dioecesis Maitlandensis principalis Patrona caelestis declararetur (12), et eidem Deiparae in suo pro-cathedrali templo speciosum sacellum erexit (13). Suae dioecesi etiam proprium periodicum officiale dedit, *Sentinel* inscriptum. Quibus omnibus consideratis nemo mirabitur, quod Pius PP. XII 28 Martii 1944 Episcopum Maitlandensem nominavit Assistentem ad Solium Pontificium (14).

Anno Sancto 1950 Episcopus Gleeson alteram suam visitationem « ad Limina » perfecit, secum ducens certum numerum peregrinorum australiano-rum. Post triennium ei licuit, quod paucis mortalium contigit, adamantinum sui sacerdotii iubilaeum celebrare.

(5) *Analecta* 1929, p. 196.

(6) L. c., 1931, p. 210 s.

(7) L. c., 1932, p. 181-183.

(8) L. c., 1934, p. 142.

(9) Cf. *Analecta* 1935, p. 288 et 1938, p. 244.

(10) L. c., 1938, p. 116 s.

(11) L. c., p. 99 s.

(12) AAS 1935, p. 331.

(13) *Analecta* 1935, p. 110.

(14) AAS 1944, p. 225.

Cum Martio anni 1955 aquarum copia subito vallem Hunter fluminis et praesertim urbem Maitland inundasset, venerandus senex 86 annorum forti animo ibi manere voluit (15). Abhinc aliquot mensibus gravem operationem chirurgicam subire debuit, unde nunquam plene se recepit. Ceterum iam a. 1948 a S. Sede acceperat Coadiutorem cum iure successionis Exc.mum Ioannem Toohey. Poterat igitur intonare suum *Nunc dimittis*, et revera, ut diximus initio, 4.3.1956 longum vitae sanctae cursum sancta morte clausit.

Corpus emortuum postridie, fer. II, collocatum est in nostra ecclesia Mayfield ante altare Matris iugiter opiferae ibique iam plurimorum fidelium obsequia precesque recepit. Alia milia hominum reverenter stabant in utroque latere viae, cum cadaver sacrum fer. III transferebatur Maitlandiam, ubi in pro-cathedrali, in signum luctus convenienter decorata, publicae venerationi exponebatur in feretro. Sydneensis ephemeris *The Catholic Weekly* 15 Martii, p. 2, scribit 4000 hominum ibi venerabunde transisse et defuncti Praesulis anulo pia oscula defixisse. Vespare illius diei a 60 sacerdotibus cantabatur sollemniter officium defunctorum, ac per totam noctem viri catholici vicissim ad cadaver orantes vigilabant.

Feria IV parentalibus cumulum attulit. Ab h. 6 ad 10 continuo Missae lectae prope feretrum. Tum Missa sollemnis celebrata a Successore Exc.mo Toohey, praesentibus E.mo Cardinali Gilroy, Archiepiscopo Sydneen., Ex.mo Delegato Apostolico Carboni, 14 Archiepiscopis et Episcopis, 120 sacerdotibus, duobus milibus laicorum. Episcopus Toohey et civium Maitlandensium praefectus Alderman A. S. McDonald defuncti merita insignia debitiss encomiis praedicarunt. Tumulatio cadaveris in ecclesia Sacratissimi Cordis, Campbell's Hill, Maitland, facta est iuxta sepulcrum Episcopi Vincentii Dwyer (16). Cum Pl. R. P. Provincialis R. O'Connell tunc abesset, visitans subditos extra Australiam Novamque Zelandiam, A. R. P. Ericus Dwyer eius vices gessit in gloriosi confratris parentalibus, cui aeternam in Deo requiem adprecamur.

C. H.

(15) Cf. RIS, p. 296.

(16) Cf. etiam *The Catholic Weekly* (Sydney), 8 Martii 1956, p. 2.